



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

mulgent, ac divulgent, priusquam Nobis vel Officiali Nostro debitè exhibitæ sint, & ad publicandum approbata.

DECRETVM VI.

CUm etiam sanctissimus Dominus Noster Papa Alexander VII, ut modernarum Ecclesiæ, tum belli, tum pestis necessitarum à Deo removendarum, remedium facilius certiusque impetrari possit, generale jubilæum, liberaliter thesaurum Ecclesiæ spiritualem dispensando, concesserit, prout per alias Nostras patentes propediem publicari faciemus: hinc volumus ut omnes & singuli Pastores populum ad pietatem, pericula belli & pestis amovenda, tantumque thesaurum lucrandum, serio instruant, hortentur, ipsique suo exemplo in jejuniis & orationibus præeant.

Leto hoc decreto subiecit Illustrissima sua Celsitudo:

Charissimi, Cogitate hoc medium acceptabile pro salute vestra & populi vobis commissi. Cogitate necessitates Ecclesiæ, dum Catholici Reges vel inter se dissident, ac seciunt armis, vel ab Hæreticis, imo Turcis infestantur, ac opprimuntur, & orthodoxa fides multis in locis vel eliminatur, vel periclitatur. Quare populum etiam vobis commissum diligenter instruite, ad devotionem incitate, vosque illum bono exemplo zelosè provocate; ne hostibus tam feris superioribus, belli incommoda iterum etiam ad nos revertantur.

DECRETVM VII.

De Peste.

Videmus iram Dei vicinam foribus Nostris se insinuare, dum lues Epidemiæ in circumjacentibus Provinciis sæpe crudeliter grassatur: Quare dicti curati tanto magis populo pericula ante oculos proponunt, pœnitentiam inculcabunt, ad devotionem excitabunt; præter ea, etiam illas quas ante duos menses aliis nostris decretis pro avertenda hac lue fieri preces ordinavimus, diligentissimè usque ad Nostram revocationem observari volumus. Specialiter verò attendent, ut si quis aliquo morbo corripiatur, statim confessionem peragat, & sacram Eucharistiam sumat: modum verò ulterius ægroto tam quoad spiritualia quam temporalia providendi, supra à Nobis indicatum, nullatenus quicunque curam animarum habet intermittat.

Hic denuo sua Celsitudo interlocuta est.

Similiter, Charissimi Fratres, pensate, pensate securim ad radicem vestram positam; periculum imminet ne arbor brevi cadat, vel in Austram, vel in Aquilonem. Maxime Pastores diligenter sibi caveant, & ægros non negligant; quia obligationem habent, reddiduri rationem Deo, si anima pereat, ac Nobis, si non debitum præstent officium.

Monendus populus ut preces diligentius ad Deum fundat, vicinaque loca & commercia cautè devitet: Si lues pestifera in aliqua parochia inceperit, quod Deus avertat, grassari, Pastor statim teneatur sub pœna notificare Officiali secularibus, à quibus Nos informationem habebimus, remediaque debita ordinabimus.

DECRETVM VIII.

CUm deprehendamus non sine magna peccandi occasione, & animarum periculo, nuptias post contracta sponsalia etiam inter plebejos (qui sæpe status sui periculum non expendunt, nec errore quodam ducti agnoscunt) in longum tempus differri, interim multos familiaritate sua abuti. Nos, quantum in Nobis est, huic malo occurrere cupientes, monemus omnes animarum Curatores, ut ad hujusmodi mala diligenter attendant, Superioribus denunciarent, & quantum in ipsis erit persuadere contentur, ut juxta Concilii Tridentini decreta, & Agendam nostram Osna-brugensem, quam primum fieri potest, sponsalibus contractis, matrimonium in facie Ecclesiæ solennizetur.

DECRETVM IX.

CUm etiam in ultima Synodo Nostra autumnali, urgentibus de causis, ad plurima evitanda scandala, & tollendos abusus maturo iudicio & consilio vestro statuerimus, ne quisquam Parochorum diebus Dominicis & Festivis matrimonio solennizando assistat, neque Sacramentum Baptismi, extra necessitatis casum, infantibus scilicet notoriè de vita periclitantibus, administret: Nos autem non sine animi dolore, & iusta indignatione intellexerimus, ex Diaboli instinctu saluberrimum hoc Nostrum decretum ab intento scopo finistrè detorqueri, dum Sacramentorum administratio in profanum quidem diem differtur, convivium verò non minus quam ante hac in Festis & Dominicis instituuntur, ac celebrantur. Quoniam verò ex inordinata hac agendi ratione, non solum in Sabbathis & Vigiliis, occasione munerum præceptum Ecclesiæ carniæ esu violatur, verum etiam debitus dictis festis diebus Dei cultus in comotationes & commellationes cum læsione Divinæ majestatis commutatur; quin etiam prohi ab officiis divinis vel abstrahuntur, vel impediuntur. Præter hæc personæ ipsæ Matrimonii sacramentum postera die recepturæ, ad illius virtutem, quæ divina gratia est, per dictos prævios excessus, & forsitan peccata, inhabiles, imo indignas se efficiunt, potiusque iram divinam ac maledictionem, quam benedictionem super se inducunt. Hinc Nos pro munere Nostro Pastoralis damnatos istiusmodi abusus